



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 45. Pax cum Pontifice sancita a Ferdinando violata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

ferme horam ancipiti Marte pugnatur, donec tandem victoriæ summa penes Henricum Regem staret, rebellibus cæsis fugatisque, ac quinque suorum Ducum desideratis. Ipse quoque Richardus & Lambertus vivi traditi sunt manibus Victoris, qui eorum vitæ pepercit, ut diuturniori horum poena ceteris vindicis justitiæ documentum præberet; Presbyter enim in vincula coniectus longo incogniti cujusdam carceris squalore contabuit; Lamberto autem adolescenti Rex vitæ gratiam fecit, non tam clementiæ sensu commotus, quam improbæ prudentiæ præceptis instigatus; quippe personatum hunc Comitem adegit, ut transfixam veru carnem ad focum in culina regia versaret, ut subditis suis eorum credulitatem identidem acerbo hoc facto exprobraret, cum fanaticum illorum Regem tam sordidæ arti mancipatum cernerent. Nihilominus post evolutum quoddam temporis spatium a tam vili munere liberatus, accipitrum curæ addictus est, hocque pacto omnes regios honores & insignia arcto nimis compendio circumscribere cogebatur.

Sæcul. XV.
A. C. 1486.

Larvey hist.
Angl. tom. I.
Henr. VII.

§. XLV.

Pax cum Pontifice sancita a Ferdinando violata.

Quamquam Ferdinandus Neapolis Rex
U 3
pacem

Sæcul. XV.
A. C. 1486.

*Raynald. an-
nal. Eccl. hoc
anno 1486.
n. 20.*

pacem cum Pontifice solemnī ritu sanxisset, nihilominus Italiam novis tumultibus involvere non dubitabat; quippe de-
nuo sævire cœpit in omnes, qui summo Pontifici sædere juncti erant, ac primum quidem in Aquilanos, cujus Ecclesiæ Archidiaconum cum pluribus Viris Ecclesiasticis crudelem in modum trucidari jussit, aliis eorum compluribus voluntarium exilium imminenti mortis periculo præferentibus. Nec illum ab exercenda tyrannide revocabat debita Innocentio Papæ reverentia, nec Ferdinandi Arragonum Regis, Mediolani Ducis, nec Laurentii Medicei auctoritas, quos omnes Pontifex in itæ pacis vades acceperat: ne vero quid ad perfidiæ cumulum deesset, Matthias Hungariæ Rex abs dubio a Neapolitano Rege, cujus gener erat, sollicitatus, adversus Pontificem Ferdinandi partes suscepit, atque a sententia, quam Innocentius in Ferdinandum pronuntiabat, ad sacrum Collegium appellare ausus est. Hanc injuriam Pontifex conquestus, Matthiam adhortatur, ut cogitaret, se non minori fidei & devotionis Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ quam socero suo affinitatis vinculo obligari, & quanto majori amore Regem ipsum Ferdinandum complecteretur, tanto majori studio illum ad obedientiam Sedis Apostolicæ, & debitam justitiam subeundam induceret.

ret, ita namque utilitati dicti Regis rectius Sæcul. XV. A.C.1486.
 consuleret, quam eum duriozem in sua per-
 tinacia conservando. Consilia itaque Ferdi-
 nando suggereret optima, ut justitiæ staret,
 nec novis quotidie flagitiis vetera cumularret.
 Verum pia hæc Pontificis monita nequa-
 quam intimius in Regis Hungari animum
 penetrasse videntur.

§. XLVI.

Iniqua Matthiæ postulata.

Accessit insuper novum Papam inter & Raynald. ib. num. 38
 Regem dissensionis argumentum; Bonfin. dec. 4. lib. 5. in fin. & lib. 6.
 quippe Matthias a summo Pontifice con-
 tenderat, ut puerum vix infantiam egres-
 sum, Hyppolitum scilicet Atestini Du-
 cis Ferrariæ Filium ad Strigoniensem Ar-
 chiepiscopatum efferret; id cum indignum
 esset, Innocentius ut ab hoc proposito
 Matthiam revocaret, datis ad eum lite-
 ris adhortatus est, ut potius virum me-
 ritis insignem, qui Ecclesiæ Hungariæ
 virtutum exemplo ceteris præluceret, ac
 promovendæ animarum saluti idoneus
 esset, designare velit. Destitit quidem
 Hungariæ Rex indignas urgere preces:
 ast hujus repulsæ vindictam in Archi-
 episcopum Colocensem effudit, quem in
 vincula conjici jussit. Papa indignitate
 facti graviter commotus, Matthiam da-
 ta epistola admonuit, ut Antistitem in